



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Aldegundis V. 30. Ian.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

72 VITÆ SANCTORUM. 30. Ian.
brarunt, dum Leucianus divino monito
eam curam in se reciperet. Id dum fit
& duo à fide alieni funus rident, oculos
amittunt, dum lugent, recipiunt.
Sed & aliis duobus pulsâ oculis nocte
lux rediit, ut suum jam omnes in CON-
STANTIO solem agnoscerent, quod
diem oculis, ut luberet, vel auferret, ve-
ferret. Ex Surio.

*Si non vales pro Deo mortem subire,
vales tamen vitam Deo placabilem ducere.
Magnum quippe est mori pro Christo,
sed non est inferius, vivere Christo. Non
potes sanguinum fundere, potes temetip-
sum pœnitentiæ telo percutere, & in cor-
dis contritione mactare. B. Pet. Dam.
serm. 33.*

S. ALDEGUNDIS V. 30. Ian.

ET si Numen amore omnes omnino
animas depereat, fatendum tamen
est, non raro etiam illustres ceras apud
homines quæsiisse. Ita ADELGUNDEM
è regia Gallorum stirpe oriundam vox
caelo allapsa iussit uni Agno castum tha-
lamum servare; palmâ interim & veste
longè nitidissimâ arrhæ loco datis. Ad
id ipsum cum Angelus etiam Tutela-
ris palàm visus hortaretur, mater in-
terim jam telam in sindones nuptia-
les offerret, eâ Neophytos illa vestiit:
mox à morte matris, concubiâ nocte,
- ad

31. Ian. VITÆ SANCTORUM. 73

ad suas nuptias in eremum evolavit, castoque flammeo ab Amando Episcopo (quem magno post coruscum splendore cælo inter Cælites vidit subire) involuta est. Cæterum quo die nova nupta dotem suam, vel in templam vel pauperes dispertivit, etiam has nuptias probaturum, Numen aquam bibenti in vinum vertit. Sed illa, ut pulchriorem se sponso suo probaret, multis precibus carcinoma, velut formæ pigmentum, a cælo extorsit. Ultimùm ægra cum e manu D. Petri manna gustasset, nauseavit abhinc omne, humanos cibos. Eò igitur à Cælitibus adventantibus, & inter hos augustissima cæli REGINA deducta est, ubi illis delitiis quotidie frueretur.

Ex Surio & Lippelo.

Expergiscere o homo & dignitatem tuæ cognosce naturæ; recordare te factum ad Imaginem Dei; utere quomodo utendum est visibilibus creaturis, & quidquid in eis pulchrum & mirabile est, refer ad laudem & gloriam Conditoris. S. Leo serm. 7. de Nat.

S. MARCELLA VIDUA. 31. Ian.

CHorum in Januario claudat mulier, sed quæ virtute vitæque constantiâ certare & invidiam facere viris possit quamque sanctior Roma profanæ illi unicam contra omnes Heroides

E 5

pos-